DEO Duce ac Luce!

[illegible]ΟΛΟΓΕΥΜΑ

Sive

GUSTAMEN PHYSICO-MEDICUM

BILIS.

Quod

SUB

SERENISSIMI ac CELSISSIMI

PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

LUDOVICI,

Ducis Würtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montispelgardi, Dynastæ in Heydenheim, &c.

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO,

PRÆSIDE

JOHAN-CUNRADO BROTBEQUIO,

Philos. ac Med. D. & Prof. Ord.

PATRONO atque PRÆCEPTORE æternùm devenerando,

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANN-OSWALDUS Schwan/.

Uracensis,

Ad diem 4 Septembris,

loco horisq; consuetis.

TUBINGÆ,

Literis Kernerianis, 1676.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO

WILHELMO LUDOVICO,

DUCI WIRTEMBERGIÆ
ET TECCIÆ, COMITI MOM-
PELGARDIÆ, DYNASTÆ
HEIDENHEMII,
&c.

PRINCIPI OPTIMO
MAXIMO,

PATRI PATRIÆ

Eam quâ hactenus,

AD DEI GLORIAM
PER DEI GRATIAM

Pollet ac fruitur

Primò

VALETUDINEM IN CORPORE,
SAPIENTIAM IN ANIMO,
PIETATEM IN CORDE,

Denique

FOECUNDITATEM IN THORO,
FELICITATEM IN REGIMINE,
PACEM IN PATRIA,

Tandem

BENEDICTIONEM OMNIGENAM
AB ET IN

DEO

Sartam, tectam, auctam
atque perennem,

Anhelantibus votis ac suspiriis adprecatur,

juxtaque ad

SERENISSIMÆ EJUS CELSITUDINIS

ARAM,

Levidensem hanc Disputationem
in humilimæ devotionis
arrham
Subjectissimè deponit

JOHANN-OSWALDUS Schwan/

PROOEMIVM.

MIserabilis verè humor BILIS est, quæ non tam miseros reddit mortales, quam & ipsa redditur misera. Illud febres doloresq; , ira atq; fastidiũ ; hoc propriæ ejusdem querelæ testantur. Permulti enim ab omni hactenus ævo, suam in bilem evomuerunt bilem, adeo ut quicquid mali & ingrati undique occurrit, id per proverbiale quoddam convitium, *Bilis* nomine tetigerint; propterea vix ullum à tot seculis invenisset patronum, nisi pro illa *Helmontius*, *Sylvius*, *Petr. Ioh. Faber* & alii cholophyli ante Medicum sese stitissent tribunal. Utrum verò & quatenus vel laude, v. vituperio digna sit bilis, omni procul iniqua bile disquitere, sententiam libere pronuntiare, meliusque dijudicantium palato & judicio submittere, tandemque pro viribus defendere placuit. Faxit DEUS! ut ex amaro isthoc humore dulce veritatis nectar elicere, degustare & propinare queamus.

CAP. I.

Cognitionem Bilis historicam & experimentalem prægustans.

Ad definitionem rei concinnandam, à *definito* telam exordimur. Bilis 1
aut fellis *nomen* omnium in ore scriptisque natat, de hoc ergo brevitatis causa nihil. Hoc saltem delibamus, quod *Hippoc. d. vet. Medic.* πικρότιν s. amaritiem pro bile usurpet. *Helmontius* autem arbitraria Licentia, nomine fellis ipsius vesiculæ humorem & nectar vitale; nomine Bilis verò Humoristarum excrementum intellectum vult. Porro etiam juxta *Marcell. Virgil. in Dioscor. l. 3. c. 24.* Græci χολὴν, ad Bilem in toto corpore, & ad fel in folliculo referunt. Dioscorides autem non χολὴν, sed χολώδη biliosos humores appellat. Latini contra, quæ in toto est bilem, quæ in cysti fel dixerunt. * Quicquid sit, nos præ cæteris 2
& primariò bilem intestinalem, quæ jecoris cystisque felleæ soboles est, cum universa stirpe sua in scenam producimus. De cujus primo *existentia* deinde & *essentia* atque natura agendum. Illa experientiæ, hæc rationis luce patefiet. Experientia quidem cultro & igne armata prælucebit. Ignis hic, Chemicus sive Hermeticus vocatur, qui intimiora bilis viscera centraliter scrutabitur, Soliq; exponet, Hujus vi & ministerio *Celebrr. Gothofr. Moëb.*

in fund. med. physio. c. 15. aquam ex bile insipidam, nullum oleum, nullum 🜍 volatile, relicta in fundo materia terrestri, sine salis indicio sese elicuisse asserit; quod solùm evincat, bilem hec esse principii salini fœtum, nec renum cribro naturaliter separari. Adjungimus huic à latere *Fr. de le Boë Sylv. in disp. med. 6. §. 39.* qui ita edisserit: Bilem componentes partes, si quis exquirat, non dubitamus asseverare, constare ipsam multo sale lixivioso, pauca aqua diluto, concurrente ac intimè ipsis admisto & oleo & spiritu volatili quantitate mediocri. Hæc omnia autem actu bili inesse absurdum proclamat, *Engelbertus Holterhofius in suis animadversionibus sylvianis exercit. 6.* Item *Sylv. prax. l. 1. c. 46. hæc recenset. §. 24.* Quisquis bilem examinaverit & tam acidis liquoribus quàm cum salibus lixivis qualibuscunque confuderit, facile capiet bilem concurrere ad excitandam effervescentiam ratione salis lixivi *Th. 31.* Eidem bili admistum esse sp. volatilis aliquid. §. *32.* In bile aliquid reperitur terræ &c. *c. 10. §. 9.* Primaria bilem constituens pars censetur mihi sal lixivus, tam per volatilem spiritum, quam per oleum temperatus. * Per nostram vero analysin, sequentia in & ex bile deprehendimus. 1. Fellis bubuli ℥x. æqualiter divisas binis vitris hermetice sigillatis inclusimus, fimoque equino simul ad putrefaciendum imposuimus. In hoc uno post 20. dies exempto, bilis ex flavo rubra & perspicua, cum sedimento quodam apparuit, nullam aliam perpessa mutationem. In vase altero post 73. dies, eadem non nisi paulo rubicundior cætera que priori similis erat. Hujus Bilis ℥ uni admixta aqua sp. sulphuris tincta lacteum induxit colorem, præcipitato simul resinoso, puniceo & adhuc subamaro quodam succo pondere gr. 34. qui prunis injectus nullo fermè vestigio relicto exhalavit. Ex ejusdem bilis recentis unciis xxv. per gradus ignis è retorta extillarunt; primò phlegma subacre instar urinæ recens destillatæ; 2. Liquor paulò acrior pondere simul unciarum septendecem cum dimidia; 3. Spiritus albus; 4. Spiritus flavus in oleum resolutus; 5. Oleum spadiceum priori crassius, quibus invicem commixtis & per filtrum trajectis spiritus spadicei coloris braunlecht destillatus, erat unciarum quinque, olei verò ex puniceo flavi, instar oleorum ex lignis, fuit uncia una. 6. Exemptum caput mortuum nigrum, refrigeratum, & per noctem ab aëre humido imprægnatum, ob sal lixivum, iterumque exiccatum, pendebat ℥iij. gr. 48. idque in tigillo per clausum ignem calcinatum nihil de pondere amisit, at postea per ignem apertum 6. horar. usque ad caniciem calcinatum, periere sulphuris fixi ℥j. & gr. 28. 7. Sal inde extractum & exic-

catum ad ſaporem ſalis lixivi, magis tamen ſalis com. accedebat, pondere
ʒij. Cineribus tandem ad ℈j. reſiduis. Pondus omnium horum ſeparatorum
collective fecit ℥xxiij. ʒvij. gr. xxxxviij. reliqua autem uncia cum gr. xij. pro
complendis ℥xxv. partim per ignem, partim vaſis adhærens deperiit; unde
ſatis accuratum ſpageiricum patet examen, pro ſcrutinii hujus fundamen-
to hic præſupponendo.* Ad hancce partium Bilis recluſionem nos eadem, 4.
qua dubio procul Sylvius, Vulcani clave adjuti fuimus. Etenim primò
qui Sylvio ſal lixivus & fermentativus multus, parsque Bilis primaria in-
eſſe dicitur, iſte à nobis in capite mortuo ʒij. pondere tantum deprehenſus
magis tamen de ſale com. quam lixivo judice lingua participare viſus fuit.
Hunc tamen nitroſum volunt, *Ioh. Frid. Helvetius in Diribitorio. med. c. 10.*
& Engel. Holt, anim in Sylv. p. 58. 2. Olei non parum ſed mediocris, quan-
titatis admiſtum eſſe aſſerit, quod nos prævia fermentatione philoſophica
per præcipitationem in reſinæ amaræ forma gr. 34. invenimus. Per Vul-
canum autem violentum olei volatilis flavi ℥j. ſequeſtravimus, fixum verò,
quo caput mortuum imprægnatum erat, ſulphur ad ʒj. gr. xxviij. vi flam-
mæ fugatum fuit. 3. Spiritum volatilem in quantitate mediocri *Sylv. di-*
ſput 6. in quantitate autem notabili *prax. l. 1. c. 64.* ineſſe tradit. Nobis
quoque in liquore & ſpiritibus primò deſtillatis, ſatis manifeſtè & copiosè
ſeſe oſtendit alkalina illorum ſubſtantia. 4. Pauca aqua, ſal lixivum
multum diluens à *Sylv. in diſput. 6.* admittitur. Per hanc autem, quid ſibi
velit, nos ſuſpendimus. Nempe in prædicto ſale ſive intra, ſive extra caput
mortuum exiſtente, nullum ſenſibile proprium deprehendere licuit humi-
dum, niſi quod ad paucas guttulas, per violentum ignem extillare forſan po-
tuiſſet. 5. De phlegmatis copia, terræq; reſiduæ portiuncula nihil quicquam
ſuper eſt dubii. Adhæc ne quid deficiat, nos anatomia chymica haud con-
tenti, per aliorum liquorum cum bile permixtionem *examen* quoque ſu-
ſcepimus *alteratorium*, ubi in ſpecie, ſequentia ſeſe prodidere phænomena.
Amaricies plus minusve remiſſa, nunquam verò intenſior à ſpiritibus aci-
dis vitriolatis, ſulphurat. nitros. ſalin. &c. Aciditas autem penetrantior
à ſp. nitri, ſulph. vitriol. Debilior à ſp. ſalis com. aceto deſtill. & ſucco ci-
tri, &c. Viriditas aliqua, modò intenſior, modò remiſſior à ſpiritu vi-
triol. ſulphur. nitri, & ſalis. Flavedo quædam ab aceto deſtill. & vulgari,
ut & à ſucco citri. Tenuitas à ſp. nitri, aceto non deſtill. ſale com. & Bi-
lis proprio ut & ab urina. Ratione fundi hypoſtaſis vel ſedimentum
craſſum & vireſcens à ſp. vitriol. nitri, ſulph. & ſal. com. ſecundum magis

& minus. Subpallidum ab aceto destill. & succo citri. Lacteum ab aceto com. Mucilaginosum ac dispersum à sp. salis & sale bilis proprio. Alteratio ferme nulla aut exigua à sale bilis proprio, exceptis salsedine leni & sedimento mucilaginoso, nec non à sale com., nitro crudo, urina humana, sale armoniaco, lixivio com. &c.
6. * Porrò, per comparationem cum analogis corporis partibus; amaricies in cerimine aurium eadem, ab accensione, & suffitu ejusdem ceriminis, pilorum, unguium, cuticulæ, ipsiusq; fellis & calculi odor graveolens, qua speciem, fere uniusmodi. Præterea bilis hepatica in ductu & poro hepatico existens subamara est, cystica verò amarior & penetrantior in media præsertim cavitate deprehenditur. Huc non incommodè referre fas esto, calculum quendam humanum ex cysti nuper defuncti alicujus excisum, qui magnitudine & figura ovi columbini, vel olivæ totam opplevit vesiculam pondere ℥unius gr. 58. superficies inæqualis, aspredinis tamen expers & subalba; meditullium verò calculi in latum divisi stelliformis, instar lapidis lyncis, aut pomi citrii, simulque velut talcum splendescens & in centro subflavum apparebat. Substantia dura, lenta, corticis præsertim, tanquam resina concreta, vel colophonii instar cultro scissilis erat, quod & *Ioh. Kentmannus* attigit in calculorum historia numero 6. Eadem prunis injecta sulphuris modo inflammabilis, residua calce cinericia pauca in fumum abiit, solubilis denique & ex parte in sp. vin. & oleo olivarum, sed non nisi ad ignem liquabilis, cortex insipidus, medulla subamara.

Tantum *de spagirico* tractationis nostræ *fundamento*, nunc *ad anatomicum.* Nos brevitatis memores, tacite præpositâ ex recepto anatomicorum suffragio vesicæ bilariæ, partiumque sociarum structura subteximus nonnulla notatu digna.
1. * Substantia vesiculæ felleæ ex membranis contexta communiter duabus hactenus audit; visus autem accuratior tres aut plures credere nos jubet, harumque intima muco quodam obducta est, teste *Iohan. Theodor. Schenckio, exerc. anatom. 6. l. 1. s. 2. c. 23.* glandulosa denique juxta *Iohan. Nicol. Peohlin, de purgant. medicam. facultatibus, cap. ult.* hinc & crassior, quam vesica urinaria ! ob alium ergo quam solius retinendæ bilis usum, quia fermento quoque dotata est juxta *Moëb. & Kerger.* quale forsan mucus ille apud *Schenck. l. c.* esse videtur. Porosam statuunt nonnulli, etiam in statu s. n. quâ parte hepati annectitur, apud *Schenck. l. c.* qui tamen recte dubitat, aliisque dijudicandum committit, hinc & nobis non arridet.
2. * Præter arterias, venas, ner-

nevvos ac vaſa *lymphatica* jam indubia , aliis cyſtis hæc inſtructa eſt du ctibus cholodochis peculiaribus , quorum primus , aut inter primos inventor *Nathaneel. Highmorus , anat. l. 1. p. 3. c. 2.* mentionem facit, eosque depingit , cui tamen fidem denegat *Pechlinus l. c.* aliosque ſubſtituit duos à ſe inventos canales, qui nihilominus Highmoro parum derogare videntur, ſi verba ipſius expendantur, quæ ita habent: *Surculus unicus non eſt, qui illam penetrat , ſed plures , ut in hepate bovino ac humano vaſis omnibus à parenchymate denudatis perluſtravi ; neque ſolum in ipſam veſiculam , ſed & in meatum cyſticum, quamdiu hepati continuatur, inſeruntur.* In ſuffragium veniunt *Thom. Bartholinus anat. ult. edit. & Marcellus Malpighius* , teſte & approbatore *Fr. Sylvio prax. l. 1. c. 44. §. 15.* nec non *Excell. Dn. D. Metzgerus, Collega & Affinis meus honoratiſſimus, in Extiſpicio hepatis. th. 15.* Eosdem geminos ductus nos quoque in folliculo bovino ritè diſcretos vidiſſe atteſtari poſſumus , quorum ſuperior meatui cyſtico , inferior ipſi veſicæ, patulo ore implantati erant , videbanturque , oculis & cultro accurate perſequentibus , nihil aliud quam manifeſtæ pori hepatici propagines eſſe. Plures verò an dentur ad Highmori mentem ſurculi tales biliferi, dies & induſtria quondam patefacient. Imo *Wilhelmus Rhyne , in meditat. Hipp. de vet. med.* inter diluculariæ experientiæ tyrocinia affert hepaticum ductum immediatè, id eſt , absque cyſtici communione , in folliculum felleum deſiiſſe. Neque interea *Holterhoſium* cum citato *Ioh. van Horne* moramur, qui denuo ductus illos proſcribere conantur. * De arteria veſicaria notandum volunt *Barth. & Fr. Sylv. Pechlin. & Holterhoſius*, quod eadem inflata, 3.
veſica ſubinde attollatur ac diſtendatur. Arteriam verò hepaticam in bilarii ductus hepatici ramos inſeri *Ioh. van Horne , Bartholino & Holterhoſio* citantibus demonſtravit. Viam verò illam à ductu bilario inflato in cor usque tendentem , per Sylvium aliosque obſervatam ad *σύρροιαν* illam Hippocraticam merito referri poſſe ac debere cenſemus. * Ductus ſeu porus bilarius bubuli hepatis à nobis obſervatus Gliſſonii delineationem præ aliis referebat. In hoc etiam haud ita pridem ſabuloſam lapillisque multis refertam reperimus bilem. Notam ſimulque ulterius ſcrutinium meretur idem hic canalis hepar inter ac cyſtim in porco quodam bifidus , à nobis obſervatus , qui ramis ſatis longis in glanduloſa quædam corpora (nos utrumque pancreas Aſellianum & carnoſum ſuſpicamur) exporrectus, ſucci amariuſculi aliquid continebat , quod & *Malpighius* in pennatis ſeſe obſervaſſe innuit. Et veluti totum hepar nil niſi conglomerata cenſetur, ex lobulis con- 4.

stans glandula, peculiariter figurata, licet conglobatis non careat glandulis: sic perinde tubuli hujus orificiis suæ adhærent glandulæ, sive Malpighio denominante & Pechlino attestante, acini glandulosi.

5. *Maxime omnium nostro favet rhombo, quod *Regnerus Græfius*, de succo pancreatico & postmodum prolixius *Florentius Schuyl.* pro veteri medicina contra *Le Vasseur*, bilis cum succo pancreatico effervescentiam, præmissis rationum & authoritatis Hippocraticæ fulcimentis, autoptico experimento in canibus nonnullis adhuc viventibus exhibito, ob oculos posuére. Succi præterea pancreatici acido austeri præter propter uncias duas, trium propemodum horarum spatio Schuylius collegit. Effervescentiam illam cum succo pancreatico ut & cum spiritu nitri & vitrioli Græfius etiam extra corpus, sed non nisi adjutu caloris extranei, pariter succedere, ita demonstratum ivit, ut ne ipsa quidem impudentia de illius effervescentiæ veritate dubitare posset.

6. *Contra hoc Schuylii & aliorum fidum & oculare documentum aquila aliàs anatomicorum *Barthol. cum Virsungio* bilem per pancreas evacuari autumat, indeque illud quasi vesiculam lienis-bilariam appellat, cui tamen subscribere, si regulare id velit, salva tanti viri authoritate dubitamus.

7. *Motum bilis localem anatomica nonnullorum exploravit & stabilivit dexteritas atque perspicacia, feliciter æque ac fideliter ostendens, illum lege naturæ, & pace tamen Fr. Sylvii ac Helmontii, ab hepate & vesicula sua non nisi ad intestina, neutiquam verò retorsum, hepar & cor versus agi. Demonstrarunt quippe primò inflationis ope *Sylvius* ipse *Malpigh. & Pechlinus*, bilem per arteriam jecorariam, ductusque bilarios singulares supra citatos in capsulam derivari. Deinde inflato cystico ductu hepaticum non intumescere, sed intestinalem, neque inflato vicissim hepatico, cystim *Barth.* & *Holterhofius*, experti edocent. Nil insuper remorante cystici ductus ligatura, copiosam nihilominùs bilem in duodenum jugiter defluere, iidem Malpigh. & Pechlinus extra omnes tenebras posuere.

8. *De alteratione & quasi transmutatione, ex bile & succo pancreatico diversimode inter sese mixtis facta, legisse juvabit *Fr. Sylvium prax. l. 1. Græfium. l. c. Bernh. Schwalve in pancreat. pancrene & Schuylium. l. c.*

9. *Huc facit quod bilis, (quo ad existentiam suam) non modo in hepate vasisque suis, sed & aliis in partibus ἄκρατος καὶ ἄμικτος, sive impermixta, mera ac sincera, tam ipsius naturæ digito monstrante, quam Hippocratis de vet. med. assensu, in febribus, doloribus, ictero, herpete & similibus, criticè ac symptomaticè secernatur. Quin & in ipso sanguine emisso aliqua humorum separatio

ratio lactis in morem evidenter dispalescit. * Hepar non ἀνάστεμον, quoad vasa, sed aliàs σύῤῥοον esse Glissonium & Malpighium plana plenaque fide ostendisse arbitramur. 10.

Cap. II.

Definitionem bilis physiologicam explicans.

Præadstructis hisce fide dignioribus ex sensatâ phylosophiâ fundamentis, ad hujus & reliquarum definitionum momenta jam ascendentes, easdem secundum institutionum medicarum partes, quâ licet brevitate, adornamus. Ex physiologicis itaque principiis: *Bilis est* (1.) *humor corporis nostri calidus & siccus, amarus, subacris, flavus, & vilis*, (2.) *ex sanguinis parte impuriore, alkalina magis & sulphurea amara constans, & è massâ sanguinea*, (3.) *à facultate jecoris bilifica, mediante calore fermentali, per glandulas & oscula pori hepatici emulgentis segregatus*, (4.) *indeque per ejusdem pori ramos, partim in cystim suam*, (5.) *partim in duodenum intestinum derivatus*, (6.) *atque sic massam sanguineam defæcandi, & chylosam perficiendi gratia productus, tandemque defuncto munere, suo partim per alvum excretus.*

Ἐξήγησις.

Relicta suo cuique Authori definitione bilis, nos quantum possibile definitionem hanc ad sophorum leges in majorem veritatis gratiam atque gloriam concinavimus. * *Generis* vice *humorem* physice ac remotè bili assignamus, quia effectus est substantialis, inque partiali statu suo quodammodo mixtus, & porrò per proprietates bilis recensitas, ad proximum genus & specificam quandam differentiam restringitur, adeo ut ipse Hipp. de veteri medicina metonymico *Amari* nomine bilem depingat. De hisce autem debite contemperatis, intraque naturæ sphæram coërcitis, quoniam ipsi sensui innotescunt, sufficiat dixisse, quod bili insint. Medici enim non est demonstrare, sed demonstratis uti, quod & Cous Dictator de vet. med. contra Sophistas monuit. Nihilominus ut pauca inseramus, amariciem & acredinem bilis sali com. sali armoniaco & sulphuri; flavedinem autem sulphuri & Mercurio magis adscribenda opinamur. Plura de his scrupulose egerunt, *Fr. Sylvius. l. c. Ioh. Frid. Helvetius, in Diribitorio Medico, Holterhofius. l. c. Mickael Ettmiller, de med. Hippocratis chymica. Wilhelmus Rhyne, in meditat. d. Hipp. vet. met. Georg. Hornius, in Arca Mosis.* Bilis præterea corporis nostri humor, tanquam continentis sui contentum, vel pars quædam totius à nobis innuitur, simulque calidum & siccum in secundo gradu respectu sanguinis statuimus. *Plus negotii causæ faces- 2.

sunt

sunt, quarum prima est *materia* bilis, eaque duplex *productionis* una & altera constitutionis. Prior sed *remota* alimenta laudat calida, oleaginosa spirituosa, extus dulcia, intus amara & acria, utpote sunt; lac, mel, saccharum, vinum & alia facile bilescentia. Succedunt his propius, loco materiæ *proximæ*, chylus & sanguis ipse, quatenus iisdem succis, imò ipsa bile in chylificatione prius inprægnati sunt. Sanguinem ergo, pro materia ex qua de integro, quis admittere ausit? cum transmutatio prorsus hîc exulet, contra quam Helmontius errat; neque etiam sanguinem adustum cum *Conringio & Kypero*, admittere fas esse putamus. Posterior *constitutionis materia* non tam in ipsa definitione per partes suas radicales laconicè; quam & in præmissis jam spagiriæ philosophicæ & Vulcanicæ documentis sigillatim & ad satiem, sub phlegmatis, spiritus volatilis, oleique nominibus expressa est. Interea philosophis Democritæis antiquo-novis, Cartesianos puto, suas atomos, sive corpuscula particulasque figuratas; Peripateticis suum ignem; Astrologis Martialem suum spiritum non invidebimus, neque suo usque adeo privatum ibimus æstimio. Antiquos verò Medicos cum excrementiciis partibus rigidè acceptis, communi ferè calculo ex esse jubemus. Notandum adhæc, quod Hermetici bilarium sal ex alkalium volatilium tribu, sulphur autem intus rubrum esse pronuntient, quin & ab ipso *Hipp. l. 3. de morbis*; fel appellatur sulphur, quo reliqui humores
3. accenduntur.* Sic ergo bilis è massa sanguinea, quæ partialis duntaxat ejusdē materia est, ipso actu secundo producitur*. At verò *efficientes* productionis hujus *causas* tot propemodum reperire licet, ut bilem potius, quam salivam movere possent. Nostro igitur, si quid arbitrio relictum est, in eorum transibimus castra, qui bilificationem *per separationem & transmutationem, comite tamen coctione*; fieri contendunt. Ecquis enim physices probè gnarus, veram vel generationem, vel transmutationem in hoc negotium vocabit? neque etiam promiscua syncrisis aliqua, quin potius & prius ingeniosa naturæ diacrisis sive separatio hic obtinebunt. Ad hanc verò expediendam, ut ab ovo ordiamur, provocamus 1. Animam ceu principalem causam, primumque movens. 2. Facultatem ejus administram bilificatricem. 3. Spiritum totius massæ sanguineæ fermentalem, qui præcipue cum hepatis & subinde cystis peculiari fermento salino & sulphureo unitus est, quem alii Archeum nominare amant. 4. Tandem calorem hepatis idiocraticum exinde radiantem, omnia penetrantem, reserantem, localiter sequestrantem atq; perficientem in subsidium mittimus, qui

f

sic ultimi & immediati instrumenti vimque, vicemque unicus obire potis est. Fermentum illud hepaticum nihil aliud est, quam materia jecoris balsamica, spirituosa, ac salina, per parenchyma totum diffusa. De cystico autem fermento supra dictum est, quorum utriusque ministerio bilis solutio ac sequestratio peragitur. Hæc ergò agentia simul mediante jecoris crasi ejusque organica diaplasi, qua de supra, per lobos & glandulosos hepatis acinos, porique bilarii oscula bilem filtrando quasi, renum more, separant, emulgent, inque canalem bilarium immediate derivant ac deponunt. *In *Folliculum* autem ab iisdem, non modo per pori bilarii meatus supra inventos, ipsiq; insertos *infunditur*, sed & si *Bakio, Sylvio, Pechl. & Holterh.* fides, ex arteriis vesicalibus, per glandulas papillares sive glandulosas aspredines à Pechlino notatas exugitur quasi, percolatur, colligitur, & ad perficiendũ reconditur. Atq; sic universa ista χολοποίησις s. bilificatio in separatione recumbit. A toto n. quod descendit, eodem superstite, nonnisi pars ejus secreta esse poterit. Hujus autem fundamentum ζέσις est, sive fermentatio illa naturalis depuratoria & blanda, quæ clavis naturæ solvens ac ligans, serraque Hippocratis reciproca est. Per hanc itaque sanguis tanquam massa heterogenea, ex puris & impuris succis conflata, à bile sequiore vindicanda est, quod nonnisi à naturali jecoris balsamo, spiritu & calore fermentativis factu possibile est. Natura quippe laborem hunc primò intendit & jubet, mox media ordinat & regit, post hæc per eadem in actu posita & quasi accensa, objectum fermentabile, sanguinem nimirum movet, præparat, solvit, tandemque bilem ab illo sequestrat. Plura de his *Martinus Kergerus, Moëb. Sylv. & alij.* Interea quæ ab aliis circa bilis generationem aliter fieri creduntur, haud penit⁹ inficianda, sed cum grano salis acceptanda & conciliandа esse judicamus; quorum cumulus *in Th. Barthol. Mœbio, Schenckio, Caspare Bravo,* aliisq; habetur. *Separata demum collectaque hæc bilis, locali motu aliorsum derivetur oportet, motus autem hujus in hepate terminus à quo, porus est hepaticus, ut & seorsim vesicula fellea. Terminus per quem, sunt ramuli ex poro bilario in cystim inplantati, tum & ductus cysticus, meatusque communis cholodochus, exterminato interim ductu pancreatico. Terminus ad quem, ut plurimum est jejuni & duodeni intestini confinium, interdum tamen minori quodam ramo ventriculi fundum cholodochus petit, cujus insertionis 7. testimonia Moëb. adducit. Et hæc de bilis motu; quæ autoptica anatomicorum fide, tam lyncea sunt, ut quicquid *Helmontius, Bakius, Sylvius* & sequaces contradixerint, nihil sit, unde ne ipsi

bili, bilis moveatur, pro hac clypeum & gladium ſtrinxêre *Barthol. Malpig. Pechl. Holterhoſius, &c.* Huic bilis ad inteſtinum demandationi adjuvandæ, validam & continuatam jecoris compreſſionem ex perenni reſpiratione ſanguinisque advenientis impulſum *Malpighius* ſuperaddit. Denique *Laurent. Billing. in Ephem. nat. cur. Ao. 2. obſ. 75.* ab aſtante ac diſtento cibis ſtomacho, veſiculam comprimente, illum quoque motum petit, exprimi

6. etiam pancreatis humorem eodem quo bilis tempore aſſerit. * *Uſus ac finis* humoris noſtri tam famoſi, pro ingeniorum varietate varius eſt, quos huc illuc ex *Barthol. Moëb. Schenckio,* &c. conquirere licet. Noſtrum eſt rem compendi facere, binosque ſaltem inſigniores uſus aliis præferre. Primus horum eſt privativus; ſanguinem videlicet depuratum *Galeno* teſte & craſſio rem ſive coctiorem juxta *Gerhardum Blaſium* relinquere, nil autem poſitive, licet Helmontius contendat, eidem conferre. Alter poſitivus eſt; coctionis primæ ſive chylificationis ſtomachicæ & inteſtinalis opꝰ perficere; quod etiamſi magni nominis *Fuchſius* noſter *parad. l. 3. c. 3.* contra Mundinum aliosque tum temporis recentiores, tanquam frivolum, frigidiſſimum, imò ridiculum explodat, nihilominus haud abſque rationis & experientiæ fulcro, quo de ſupra, *Sylv. Græfius, Schuylius, Kergerus, Ettmüll. G. Needam. d. form. fœt. c. 116.* pluresq; alii fermentationis miniſterio, adſcitoq; pancreatis ſucco, illud fieri, operoſe confirmant & illuſtrant. Ex amaro a. bilis ſulphure in alkali mutato, ſuccoq; pancreatis acido commixtis, ſal inde tertium fieri, communi ſali propemodum aſſimile *Helvetius l. c. G. Thomſon. Epilog. Chym. 87.* aliiq; perſuadere volunt. Uſibus hiſce maſcule fideliterq; vel tandem expletis, ſi quid fæcu-lenti ac tartarei reſtiterit, id omne excrementi more per alvum eliminatur. Atque ſic ad Solem pateſcit, quomodo bilis utilitatis potius elogia, à multis hucusq; celebrata, quam inutilis tantum, vel nocivæ ſuperfluitatis immerita nomina adhuc dum tueri queat. *Thoms. l. c. 89.*

Cap. III.

Definitionem bilis Pathologicam paſſivam examinans.

Bilis eſt (1.) *humor p. n. morboſus ſive de naturali ſuo ſtatu* (in definitione præcedente expreſſo) *in p. n.* (2.) *à cauſis variè illum affligentibus mutatus,* (3.) *unde operationes uſusque ejus graviter læduntur.*

Ἐξήγησις.

I. Bilis ut *ſubjectum morbi* primò, & ex hinc demum ut cauſa expendi vult. Rarò etenim lædit, niſi ipſa prius læſa ſit bilis. Morboſus autem, vel morbidus

pas-

passive dicitur; Græcis *νοσερὸς*, *νοσώδης*. Hoc modo etiam priori definitioni hæc ipsa è directo opponitur.*Morbificæ *causæ* concernũt hîc bilẽ vel *generandam*, vel per separationẽ *generatam*. *Illa* ut plurimum à diætæ vitio, aliorumq; non naturalium culpa, vel abusu, nonnunq. etiam à totius, vel partium morbis dependet; unde generatio vel excessiva, v. defectiva, v. depravata suboriatur, necessum est. *In specie* v. ex causis propinquis, *Sylv. prax. l. 1. c. 44. §. 21.* ad tribunal citat medicum sanguinis & glandulosorum acinorum vitia, & alibi alia, bilem quoque separatam sigillatim concernentia. *Hæc* seorsim jam in canali hepatico, in cysti, in choledocho meatu & intestino aliisque in partibus existens, injuriis longe pluribus & gravioribus obnoxia est. Hinc 1. *substantia* ejus vim patitur, dum vel corrumpitur à causis putrefacientibus, resolventibus, exiccantibus, manifestè & occultè destruentibus ut & à denegatis & subtractis succis restaurantibus; Vel degenerat in calculum & vermes; Vel depravatur per commixtionem materiæ heterogeneæ, videlicet sanguinis, vel aliorum gestorum ac ingestorum, quando hæc aut sulphure noxio, aut sale vitriolato, aluminoso, nitroso, aut quovis alio vitioso inquinata sunt miasmate, inde igitur bilis vitellinæ, porraceæ, æruginosæ, isatidis sive glastinæ, & atræ viperina resultat progenies. *G. Thomson. Epilogism. Chym. 47.* 2. *Qualitates* multiplices & jam satis notæ diversimode alterantur; modo in aliam illarum speciem, velut calidi & sicci in frigidum & humidum; amari in acidum, austerum, acre vel insipidum; flavi in viride, cœruleum, & atrum mutatione. Modo in gradum vel intensiorem, quod fit in febribus; vel remissiorem in phlegmaticis & melancholicis affectib⁹ tendendo. 3. *Quantitate* augetur, in supernatantia sive redundantia biliosa; vel imminuitur per supra recensitas defectivæ generationis causas. 4. *Loco* proprio & *motu* simul noxam contrahit, si vasa & meatus eam continentes, morbo intemperiei, diaplaseos vel solutæ unitatis implicantur, unde vel effluit, vel retinetur & quiescit. Aut etiam nunc sursum per vomitum, nunc deorsum per intestina, jam aliorsum ab externis vel internis moventibus, modo symptomaticè, modo critice propellitur, aut attrahitur, aut circumagitur, aut huc illuc dubie distrahitur. 5. Plura vel pauciora horũ, haud raro *complicatim* & simul bilem deperdunt, vel solis testibus, orgasmo & cholera. *Pravi & amari fontes tales quoq; trahunt rivulos; hinc ex hisce bilis affectionibus, quid nisi chylificatio, sanguificatio, & vel tandem tota vitalis œconomia læsa, perturbata & collapsa oboriuntur? quid nisi morbi tam ante memorati; quam & mox memorandi plures, læsa sic bile, corpus lædunt?

Margin: 2 (beside "hæc ipsa è directo opponitur") ; 3. (beside "Pravi & amari fontes")

 CAP. IV.

Cap. IV.

Definitionem bilis Pathologicam activam enucleans.

Bilis est (1.) humor p. n. morbificus, (2.) quatenus suæ vel substantia, vel accidentium vitio, vi, & culpâ corpus p. n. mutabile lædens, (3.) morbis & symptomatis inde enascentibus affligit. * Morbificum appellamus, *generis* loco, humorem vi vocis activa, idemque est, quod morbifer. Apud Græcos *αἴτιον νοσαζὸν καὶ νοσοποιὸν.* Talis autem est nonnisi separata bilis, eaque non tam in hepate progenita, & ex secunda in primam regionem delata; quàm aliàs aliis quoque in partibus producta. * Hæc non nisi ipsa prius mala, mali *causa* per se esse nequit, amaræ enim vitis amaræ uvæ, *Deuter. 37. v. 32. & 33. Ier. 2. v. 21.* Dolet autem natura quando dolorem inferrē cogitur, inde non tam affligitur bilis, quia afflicta est ipsa; quàm quod & affligere ac nocere possit. Jubet verò DEUS vindex; peccatum namq; nostrum bilis est, esto & pœna bilis. Idem hoc SScr. non semel amaritudinis, bilis & absynthii nomine declaravit: *Deut. 29. vers. 18. Ierem. 9. v. 15. Thren. 3. v. 5. 15. 19. Actor. 8. v. 23. Hebr. 12. v. 15.* Bilis autem subjectum lædens, corpusque nostrum subjectum læsum, utrinque eodem modo evadunt, tum substantiæ, tum accidentium suorum merito, prout ex superiore capite liquet. Qualis ergò est læsio bilis passiva, talis quoque activa, quod enim illi p. n. impressum est, id & corpori communicationis lege imprimit. * Hinc *nosemata* præter supra dicta, huc etiam referenda sunt, ea, quæ à bile & cacochymia hujus, modo simplice, modo complicata erumpunt, & quidem speciatim, quatenus affligit 1. *substantia*, febres biliosæ putridæ, benignæ, & malignæ, cachexiæ ictericæ, erysipelas exulceratum, herpes, symptomata aucta & depravata à bile aucta, acri & æruginosa, uti juxta *Hipp de vet. med.* rabies, morsus viscerum ac pectoris, & desperatio. 2. *Qualitate*, febres biliosæ imputres, erysipelas simplex, anxietates, æstus, ac debilitates, teste eodem *Hipp. l. c.* nec non sitis, orisque amaricies. 3. *Quantitate* aucta; erysipelas systrophicum sive cum tumore, & obstructiones. Imminuta: morbi frigidi, functiones debiles & cessantes. 4. *Loco*, inque hoc vel motu vel quiete. *Motu* quidem, quando vel per metastasin, v. per epigenesin, v. per orgasmum sive turgentiam, morbi calidi graves que cum symptomatis auctis ac depravatis, quod per febres accidere solet, exoriuntur. *Quiete* demum ubi jam in toto, jam in hac, modo alia in parte collecta ac retenta bilis moram nectit, damnis & periculis auctam, obstructionibus & tumoribus fœtam. 5. *Complexu* horum multiformi, unde febres symptomaticæ graves & erysipelatodes seu typhodes, nonnunq. cum abscessibus,

ſtibus, ulceribusque, vel benignæ, v. malignæ, concomitante inſuper ſævorum, & inuſitatorum dolorum, commotionum, aliorumque ſymptomatum variâ, eoque magis, ſi principes occupaverint partes. Hujus quoque claſſis ſunt, ulcera magna, maligna ac ſerpentia, herpes videlicet excedens, cancer & lupus.

CAP. V.

Definitionem bilis ſemioticam duplicem exhibens.

Bilis ut ſignatum, *eſt humor ad ſenſum incognitus ſive deliteſcens, qui per media ſive ſigna ſua manifeſtatur & tanquam indicans proponitur. Bilis quatenus* ſignum *eſt medium ſenſuale manifeſtum, cujus ope ad cognoſcendum præſentem ac futurum bilis ſtatum & ad indicationes inde elicendas deducimur.*

Ἐξήγησις.

In ſemioticis cholericus humor duplici gaudet & ſigni & ſignati jure. *Signatum* eſt, & diagnoſticum & prognoſticum, ſi latet, nec ſenſibus obvius ſeſe prodit. Eſtque illud Phyſiologicum ratione complexionis bilioſæ per ſigna ſua dignoſcendæ. 2. Pathologicum, vel quatenus pars affectâ; quippe an & quonam ipſa morbo ex ſupra memoratis laboret, per ſenſui notiora & peculiaria indicia indagandum eſt; vel prout cauſâ morbifica; quando tot inter morborum cauſas ac mutationes, quæſtiones proponuntur dubiæ: 1. Utrum vel bilis, vel alius quiſpiam humor? 2. Num hæc vel illa bilis ſpecies? 3. An ſola & ſincera, vel ſpuria & cum aliis mixta? 4. Quonam lædendi modo affligat & in culpa ſit? 5. Quænam, quomodo, & quando ejusdem futura ſit evacuatio? Nunquid hîc ſigna cacochymiæ bilioſæ in genere & ſpecie, cum reliquis, tunc conſulenda ſunt? * *Signum* viciſſim eſt ſignati ſui latentis intuitu, ubi bilis vel in corpore, vel extra corpus, modo ſubjectivè, modo accidentaliter, ſub coloris a. ſaporis ſpecie in ſenſus incurrit. Eſt autem ſignum vel *diagnoſticum* vel prognoſticum. Illud rurſus modo phyſiologicum propriæ ſuæ complexionis; modo pathologicum, tàm morbi alicujus bilioſi, quàm partis affectæ, ſic copioſa & crebra bilis excreta, amaricies ac flavedo morbum & partem deſignat. Hoc, *prognoſticum*, quando e. g. excretiones bilioſæ, ſinceræ, vitellinæ, virides, æruginoſæ & fœtidæ, in acutis præcipue, dieque non critico ab *Hipp. progn. 2.* peſſimæ ac lethales pronunciantur. Et ejusmodi alia. * Quandoquidem verò Medici non eſt vanum nudumque agere ſpeculatorem & augurem, ideo vel maxime decet & oportet, non tantum ſemiotica hæc, ſed & præmiſſa omnia tanquam proſcenia, ad practicum ſuum dirigere ſcopum, dextrè accommodare, tandemque ægrotum priſtinæ valetudini reddere. Ad quod obeundum

munus, in procinctu jam ſtantes inventa iſthæc ſignata, cum indicationibus commutaturi ſumus.

Cap. VI

Definitionem bilis practicam quatenus eſt indicans, expendens.

Bilis eſt (1.) objectum ſ. medium Medico-practicum, h. e. indicans, per quod, (2.) vi & jure relationis ad indicatum ſ. remedium conveniens, eliciendum & (3.) uſurpandum manuducimur.

Ἐξήγησις.

I. Satis hactenus indultum eſt ſpeculationi, nunc & praxi inſudandum, quæ tria à nobis exigit. 1. Quid. 2. Per quod. 3. Quomodo circa bilem ſit agendum. Τὸ QUID agendum proponit nobis bilem ut indicans proſtheticum & aphæreticum. *Proſtheticum* eſt bilis non modo alimentalis, cum cholericâ neutri ſtatus complexione, ſed & inteſtinalis ſuperius jam commendata, tam ſeparanda: quam ſeparata: quas omnes quatenus intra naturæ limites adhuc meant, legitime conſervandas ac regendas diætetice committimus Medicinæ. *Aphæreticum* porro indicans bilis eſt triplici titulo: 1. Quatenus læſa eſt ſolùm, nec dum lædens, & huc pertinent morbi quidam cap. 3. recenſiti, & qui etiam in læſæ generationis ſuæ ſtatu curandi ſunt, quod ex *Sylv. prax. l. 1. cap. 44.* petere licet. Separata autem ſic læſa, veluti cacochymiam parit bilioſam: ita antecedentium cauſarum more, ceu prophylacticum indicans per præparantia & cholagoga extirpanda eſt. 2. Prout actu ſecundo tantummodo lædens, nec læſa eſt, quando nempe jam ſegregata, ex accidenti, citra intrinſecum aliquod ſubſtantiæ, aut qualitatis vitium, vel copiâ, vel loco, vel motu & quiete peccans varia creare ſolet pathemata, tunc ergo ſolam ſui, vel evacuationem depletoriam, vel localem mutationem, per motus & quietis præternaturalis correctionem revulſoriam, aut derivatoriam, &c. partim prophylacticè, partim therapeuticè indicat. 3. Quando & læſa lædensque ſimul eſt, tam ſive per ſe, ſive per accidens, idque modo in facto ſolitarie, modo in fieri & facto junctim, juxta tritos illos peccandi modos, vel ſimplicem, vel complicatum, aliumve concitet morbum, quid niſi cholagogis & alterantibus communibus ac ſpecificis pugnandum erit? Notatu ergò hic dignum eſt, quod de humoribus ſecretis, facultate, copia & robore lædentibus *Hipp. d. vet. med. Ant. Lindeno* interprete præſcriptum nobis reliquit: *Quos acuta acrisque ac æruginoſa bilis affligit, quales mox rabies & morſus viſcerum ac pectoris & deſparatio?*

non

non sedantur, autem priusquam eadem expurgetur, & prosternatur, & aliis permisceatur. Tria hîc commendantur remedia. 1. Ἀποκάθαρσις, sive expurgatio choleræ hostilis, omni cum virium suarum apparatu, quod unicum auxilium tutò, citò, & jucundè peragi potest ac debet, observato quidem picrocholorum discrimine ἄνω, κάτω. 2. Καταστόρησις sive καταστέσεως, quam diversi interpretes, hic dejectionem, iste depressionem, ille sedationem, alius prostrationem vertunt; ego verò chymico stylo, humorum præcipitationem & mortificationem intelligere mallem, utpote quæ hodiernæ curationi apprimè quadrat & Hippocrate chymico admodum digna est. 3. Μίξις quam & κρᾶσις consequitur, hoc est permixtio & contemperatio cum benignis, dulcibus & insipidis præcipue humoribus, unde nimia aciditas, amaricies & acrimonia obtunduntur ac demulcentur. Hisce autem duobus auxiliis tum demum uti fas est, quando vel minor bilis copia peccaverit; vel reliquiæ cum recidivæ metu post κάθαρσιν vel κρᾶσιν substiterint; vel & virtus debilis, aut alia incommoda purgationem prohibuerint. Operæ etiam pretium est, ex Hipp. nostro hoc juxta animadvertere, quod l. c. non vulgatam illam quatuor qualitatum dyscrasiam, sed longe aliam ex amaro, salso, acido, acerbo & aliis infinitis qualitatibus compositam, inter morbos recensere, atque curare serio admoneat, & inculcet, quorum causis prædictam illam præcipitationis & permixtionis curam destinavit. Cum præterea, si ordinem agendorum pensitemus, methodus nostra non semper regularem ac regiam, sed & quandoque irregularem, sive coactam sequi jubeat viam, idem ergò circa bilem biliososque affectus æque facto opus est. Propterea in orgasmo cholericorum & acutorum mox ad purgationem vi *aph. 10. f. IV.* in malignitate ac virulentia illicò ad alexipharmaca & interdum ad vomitoria; in furioso aut pertinace, periculosoque symptomatum impetu, e. gr. phrenetico; confestim ad catastoretica & opiata prorumpere fas, quin imò necessum est. Praxis verò ordinaria, in quotidianis cholericorum ægritudinibus, à coctione & præparatione ad purgationem, ab hac ad alterationem partiumque læsarum corroborationem nos deducit; ita tamen, ut ne uni indicantium satisfacientes, alteri aut impedimento, aut nocumento simus.

PER QUOD agendum sit, non nisi *Classis medica* triplex, pharmaceutica, chirurgica, diætetica subministrat. Ex *pharmacorum classe* sunt 1. *Evacuantia alviduca*: Manna, succus Rosarum, Aloe, Rhabarb. Diagryd. cum syrupis, Elect. pil. exinde compositis. *Emetica*: pulv. rad. Asari, Gummi Gamand. Crocus Metal. & Vitr. Antim, pro infuso aut decocto; Oxym. simp vin. alb. ad medietat. coctum, syr emet. Ang Salæ, aq. bened. Rul. *Sudorifera*: sal volat. C. C. succus Citri, Antim. Diaphor. Bezoart miner. &c. 2. *Alterantia* non modo communiter, primis secundisque qualitatibus opposita, videlicet refrigerantia & humectantia, attenuantia & incrassantia bilem passim obvia; verum etiam in specie eidem adversa & anti-cholerica: Ratione amaritudinis fervorisque nimii: Aquæ acidulæ omnes; Succi Cydon. Rubi. Id. Rib. pomorum acid. Mororum, Granat. Citr. Arant. serum lactis. Respectu acrimoniæ, aciditatis, acerbitatis, & austeritatis, à salibus excessivis ac rodentibus: Cichor. Bellis. Taraxac. Plantag. Portulac. Malv. Cucurb. Cucum. sem 4. frig. maj. Cydon. Lini. C. C. Ebur, oculi 69. Perl. Corallia alb. & rub. Sacchar. Jovis, Saturn. II.

& al-

& alkalina alia. Ambidextra autem & utrinque ferientia, quæque ad Hippocratis mentem permiscendo contemperant, medicamenta alimentosa: Lac. Hord. pyra, poma dulcia vel dulcacida; Pruna, Fraga. Contra volatilitatem spirituosam & agitationem nimiam; eligenda ex enumeratis, quæ juxta crassarum sunt partium, stiptica, anodyna, & narcotica: papav. alb. & errat. Nymph. Opium. Adversus crassitiem viscosam, vel tartaream & calculosam, tam ex suprascriptis, quàm alia attenuantia ac resolventia, comprimis, sp. salis nitri, vitriol. dulc. per quæ simul felli motu & quiete peccanti occurrimus. Propter malignitatem aliquam, alexipharmaca haud prætereunda. Plura desiderans *Sylvium & Helvetium* ingrediatur, ut & experimenta chemica cap. 1. enarrata nonnihil lucis affundentia perpendat. 2. *Ex chirurgico armamentario*, Venæsectionem in plethora spuria biliosa, motuque bilis, aut mora damnosa proficuam; quin & scarificationes, hirudines ac fonticulos producimus; quæ, qui suspecta velit reddere, vel solas consulat *Celeberr. Dn. D. Metzgeri jam laudati theses chiriatricas*. *Topica*, quibus contra tumores & ulcera bilaria pugnamus, chirurgica vulgò prostant: olea, unguenta, emplastra ex ros. viol. sambuc. Nymph. spermate ran. plumbo, minio, cerussa, litharg. &c. parata. 3 *Diætetica* tripodem claudens medicum præscribit nobis fugienda ex 6. rebus non naturalibus omnia, quæ supra causarum in classem relata sunt; quæ verò è diametro his adversa, phlegmatica nimirum usurpanda inculcat. De quibus omnibus prolixæ sunt usitatæ rei medicæ classes.

III. QUOMODO dehinc agendum, sive quanam prudentia arma hæc tractanda sint, quò tutò, citò ac jucundè vincamus, & valeamus, id magis ad particularem & individualem hujusmodi morborum, quam nostram tractationem facit, ideoque supersedemus. In genere id modò agendum, ne virtus rectrix totius succumbat, ne in contraria curramus, neve imprimis socius bilis succus pancreaticus vim intereà patiatur.

CAP. VII.

Definitionem bilis practicam, quatenus est indicatum exponens.

Bilis est ipsamet materia medica, quæ ab indicante suo sanitatis ergo usurpanda ostenditur & insinuatur. Ἐξήγησις.

Fellis fuit hactenus hostiliter obesse, nunc incipiat quoque viriliter prodesse. Sicut omnia ferè amara: ita & bilis confert, & medicaminis vimq; vicemq; præstat. Unde nos Germani: Bitter im Mund / dem Hertzen gesund. Hinc benè multos ex Medicis testes invenit & amicos, 1. *Intrinsecus*: vim balsamicam felli attribuit *Helmontius*, sed ne quid nimis. Fella brutorum quorundam à nonnullis contra febres, epilepsiam, hydropem, &c. commendantur. Quidni etiam humanum? clysteres purgantes illud recipiunt. Imò Abyssinis primatibus fel bovinum cum carne eadem in condimentum cedit, referente *ex Franc. Alvarez. Th. Barthol. de cruce*, 2. *Extrinsecus*: Fel viperinum, & illud piscis Tobiæ ophtalmicum est. Erysipelati medentur fella piscium illita. Alvi ducum umbilicale præbent. Sicut cerimen juxta Helvetium: ita perinde bilem inter vulneraria balsama numerari posse, absonum non videtur. At ne plura & forsan amara, de amaro isthoc nectare scribamus, instituti ratio, cum brevitatis studio generalia saltem degustante, sufflaminat. Esto itaque ad DEI GLORIAM

F I N I S.